



# Disputatio juridica inauguralis de procuratoribus

<https://hdl.handle.net/1874/343248>

23

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
*DE*  
PROCURATORIBUS,

Q V A M  
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.  
*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ  
Medicinae Anatomæ & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicî Consensu & Nobilissimæ*

*Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, &

Privilegiis ritè, consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit*

CHRISTOPHORUS HELLERUS, Jac. Fil. Amst, Batav.

*Ad diem 16. Julii, hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi Ordinarii, cl̄o bc Lxxxv.

*Spectatisimo ac Integerrimo VIRO,*

D. D. J A C O B O  
H E L L E R O .

Parenti dilectissimo , stu-  
diorum Mæcenati unico,  
filiali amore & honore ,  
juxta Deum Opt. Max.  
ad rogum usque colendo,  
venerando

*Hanc Disputationem Inauguralem debita  
cum reverentia*

Sacram facit

CHRISTOPHORUS HELLERUS.

A U C T O R .



# PROOEMIUM.



Um antiquitus alieno nomine age-  
re non licet, quia actiones omnes  
legitimæ erant, constabant enim  
certis ac solennibus formulis l. 2.  
§. 6. ff. de orig. jur. concessum tamen,  
pro populo syndicum agere, quia  
universi agere non poterant, pro  
libertate assertorem, qui erat vin-  
dex alienæ libertatis, quia servus non habebat perso-  
nam standi in judicio, jure civili enim pro nullo habe-  
batur l. 32. ff. de Reg. Jur. ac pro Tutela tutorem, quia  
pupillus propter etatem se ipsum defendere aut in ju-  
dicio consistere non poterat, que recepta erant favo-  
re populi, libertatis & etatis pupillaris. Præterea  
lege Hostiliâ cautum erat, furti licere agere eorum no-  
mine, qui apud hostes, vel qui Reipublicæ causa abes-  
sent, ne indefensa relinquerentur res absentium publi-  
ce utile enim est res absentium a quibuscumque de-  
fendi l. 33. §. 2. ff. de Procurat. sed quia hoc multum in-  
commodi secum ferebat non licere agere alieno nomine  
neque excipere actionem, homines per procuratores,  
litigare cœperunt, quorum usus maxime necessarius l. I.  
§. 2. ff. de Procurat. quia multæ caussæ sèpius homini-  
nibus impedimento sunt veluti morbus, etas & necef-  
saria

saria peregrinatio quominus rem ipsi exequi possent, hoc-  
que ita recepto concessum fuit postea etiam extra cauf-  
sam necessitatis vel suo agere nomine, vel alieno  
Prin. Instit. de iis per quos agere poss.

Procuratorum munus autem jure Romano privatum  
fuit, licet hodie æque publicum sit ac Advocatorum,  
quod tamen non impedit, vilius ac abjectius esse offi-  
cium quam Advocatorum multasque intercedere inter  
Advocatum & Procuratorem differentias, nempe quod  
Advocati personas, Procuratores negotia suscipiunt,  
illi quasi tutores hi tanquam Curatores sint, Procu-  
ratores satiscent Advocati non item, pluresque in-  
super, quas omnes enumerare pro instituto meo nimis  
longum foret. Ordine ut igitur procedamus primo dice-  
mus quid sit procurator, quotuplex sit, qui possint con-  
stituere vel non, qui possint Procuratores constitui vel  
non, in quibus causis possint constitui, quid necessum  
habeant, ut recte constituantur, officium Procurato-  
ris, effectum mandati procuratorii & denique quo mo-  
do revocentur.

D I S



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

# PROCURATORIBUS.

## CAPUT PRIMUM.



Procurator est qui aliena negotia mandato domini administrat *l. 1. ff. b. t.* dicitur *aliena Negotia* nam in proprio negotio nemo sibi ipsi est procurator *l. 42. §. 5. ff. b. t.* dicitur *Mandato*, in hoc enim differt à defensore, qui sine mandato absentem defendit, ejusque nomine item excipit *l. 11. §. 7. ff. de except. rei judic. & l. 2. §. 3. C. de jurejurand. propt. column. dand.* ut & à negotiorum gestore, qui itidem sine mandato absentis negotia gerit.

Adjicitur verbum *Domini* ad differentiam tutoris & cura-

A 3

toris

6 DISPUTATIO JURIDICA

toris qui auctoritate magistratus, non mandato domini, gerere & administrare compelluntur.

Procurator autem constituitur vel ad negotia judicialia, vel extrajudicialia, ad extrajudicialia quilibet potest constitui, quinam autem ad judicialia negotia recte constituere & constitui possint, sequentibus capitibus videbimus.

CAPUT SECUNDUM.

**P**rocuratorem igitur constituere possunt quivis non prohibiti, edictum enim de procuratoribus est prohibitorium. prohibentur autem constituere pupillus, vel minor qui curatorem habet nisi tute vel curatore authore *l. 11. C. de procurat.* valebit tamen sententia a quovis per minorem dato procuratore obtenta; minoribus enim etas in damnis subvenire, non in rebus prospere gestis obesse consuevit ut loquitur *l. 14. C. eod.*

Filius familias autem non dat alias procuratorem quam quatenus ipse experiri potest, nempe dat extra judicium ad negotia recte procuratorem, quia recte contrahit, in Judicio vero nequit substituere, quia suo nomine agere non potest nisi in casibus exceptis ut actione injuriarum & similibus *l. 8. ff. h.t. & l. 14. C. eod.* Syndicus vero universitatis, tutor & curator, non recte dant procuratorem ante item contestatam, sed tantum actorem, quia ante litis contestationem, litis domini non sunt *l. 24 ff. b. t. l. 11. C. & l. 23. C. eod.* ut & qui ab hostibus captus est nequit facere procuratorem, sed solum actorem aut curatorem, quia sui non est juris, nec rerum suarum dominus, quamdiu in hostium vivit protestate *l. 15. ff. ex quibus causs. maj.*

Qui igitur hanc potestatem procuratores constituendi habent vel constituant eum ad certam causam vel actum expedendum, qui specialis vocatur vel procuratori omnia negotia gerenda demandant & dicunt generalis, qui tamen distinguitur ab illo qui datur cum libera (ut ajunt) ille enim omnia fere potest quæ domi-

dominus, sine libera autem datus non tam laxam in adminis-  
trando potestatem habet. Graviter autem disputatur inter DD.  
an procurator datus cum liberā habeat liberam rerum alienanda-  
rum potestatem, procurator autem omnium bonorum non ha-  
beat? non deficiunt ab utraque parte Viri celeberrimi, contrariam  
inter se sententiam amplectentes, affirmantium autem procura-  
torem cum libera habere liberam rerum alienandarum potesta-  
tem, totorum vero bonorum illam facultatem non habere, ca-  
stra sequor propter l. 58, 59, 60, & 63. ff. de procurat. l. 9. §. 3. ff.  
de acquir. rer. domin. primo autem intuitu videtur mihi obstat  
dicta l. 63. juncta l. 16. C. de procurat. quibus affirmatur, quod  
solus procurator qui habet speciale mandatum res domini aliena-  
nare possit, hinc videretur sequi facultatem res alienandi procura-  
tori cum liberā interdictam esse, sed respondeo has leges tantum  
acciendas ad exclusionem procuratoris generalis omnium bo-  
norum simpliciter constituti, qui, ut patet ex dicta l. 63. nullas  
res domini alienare potest nisi fructus & alia mobilia quaē facile  
corrumpi possunt. Ratio autem quod procurator cum libera  
res domini vendere possit modo animo id faciat administrandi  
non donandi vel dilapidandi l. 60. §. ult. ff. mandat. est, quod pro-  
curator cum libera & procurator qui habet speciale mandatum  
æquiparantur in l. 41. §. 1. ff. de rei vindic.

### CAPUT TERTIUM.

**H** Isce igitur præmissis, sequitur, ut videamus qui possint esse  
procuratores, vel non; omnes autem possunt esse qui non  
prohibentur, ob rationem præcedenti capite propositam. Arca-  
tur autem à procuratoris officio, mulier quia virile est officium  
& mulieres ab omnibus civilibus officiis pudor & naturalis vere-  
cundiæ ratio prohibet l. 18. C. de procurat. l. 2. ff. de Regul. Jur.  
recte autem mulier est procuratrix in rem suam l. 4. c. b. t. ut &  
pro parentibus, si forte parentes morbus aut ætas impedit, nec  
quemquam qui agat habeant l. 41. ff. b. t.

Non

## DISPUTATIO JURIDICA

Non admittitur quoque miles ne quidem pro conjunctis personis ne à militia seu utilitate publica avocetur. Admittitur autem si in rem suam aut cohortis nomine agat vel si veteranus sit & stipendia legitima mereatur. *l. 8. §. 2. ff. b. t. & l. 7. & 9. c. b. t.* Servus quamvis ad negotia recte constituantur, ad lites tamen procurator esse nequit quia judicio non potest interessere. Neque admittitur procurator, reus criminis antequam innocentiam suam purget. Neque furiosus recte datur procurator ob animi vitium *l. 2. §. 1. ff. b. t.* nec infamis, quia si dolum committeret pñnam infamiae illi irrogandam propter dolum ex *l. 1. ff. de his qui notant. infamia.* non metueret, interestque judicis audire homines integræ frontis, quod non correctum per *§. ult. inst. de except.* ubi Justinianus tantum jubet de agentis aut procuratoris infamia quiescere, cum non aperte satis de ea constat, ne dum de his altercatur, ipsius negotii disceptatio proteletur.

Magna autem est quæstio inter D. D. an major 17 annis procurator ad lites recte constitui possit, affirmantium sententiam veriorem esse puto quia in *§. 5. Inst. qui & ex quib. caus. manum.* est justa causa manumittendi servi, majoris 17 annis, procuratoris habendi gratia & loquitur hic *§. de procuratore ad lites*, si enim loqueretur de procuratore ad negotia extrajudicialia non opus esset illum, manumittere servum, potest enim is etiam servus esse, nec requiritur libertas ad negotia extrajudicialia gerenda *l. 7. § ff. de Instit. act.* Sic ut ad hoc munus exercendum plena pubertas sufficiat, quæ non sufficit in defensore hinc non obstat *l. 12. C. de procurat* quæ de defensore, non procuratore loquitur. Minor autem 25 annis defensor idoneus non est si exstat in caussis in quibus in integrum restitui possit *l. 51. ff. b. t.* Sed longe diversa est ratio in procuratore, qui præcedente mandato domini agit sic ut si dominus damnum patiatur restitutioni in integrum locus non sit, imputet enim sibi ipsi dominus, quod minorem procuratorem dederit *l. 23. ff. de minoribus* nec quemquam debet movere, minorem non habere personam standi in judiciis, quodque illa possent elusoria fieri per minoris restitutionem sed hoc quidem verum est si minor comparet in judicio suo jure, sed non

non quando aliena negotia curat quia ut dictum sibi ipsi imputet quod rem minorenni commiserit & inde læsus sit.

## CAPUT QUARTUM.

**O**RDO nunc exigit ut videamus in quibus caussis procurator recte detur & dicendum in omnibus sere caussis recte dari. Non autem in criminalibus, in quibus pæna supra relegationem imponitur *l. penult. §. 1. ff. de publ. judic. l. 3. C. bis qui accus. non poss. l. ulta. C. de injuriis* in qua *l. ulta.* tantum illustribus viris & eorum uxoribus & liberis concessum est procuratorem constituerre in caussa injuriarum ad accusandum, itaque ex oppositione in Cæteris lex vetat *l. 12. de Judiciis.* Maxima autem est questio utrum procurator in caussis criminalibus ad defendendum admittatur & maxime videntur inter se obstare *l. 33. §. 2. ff. b. t. ut & l. 3. C. de accusat.* quæ dicit Reos Capitalium criminum absentes etiam per procuratores defendi Leges publicorum judiciorum permitunt cum *l. 13. §. 1. ff. de publ. judic.* quæ statuit ad Crimen judicij publici persequendum frustra procurator intervenit multoque magis ad defendendum. Postquam autem maximas DD. in conciliacione harum legum differentias vidimus D. sachinei sententia mihi arrisit plurimum qui dicit *l. 3. C. de accus.* & *l. 33. §. 2. ff. b. t.* loqui de reis absentibus ut illi ubicunque possint damnari, per procuratorem possint defendi in caussis capitalibus *l. antem 13. §. 1. ff. de publ. judic.* accipiendo esse non de absente sed reo præsente, quia textus dicit frustra procuratorem intervenire ad defendendum, nempe eum, qui præsens est, quia ne minima mentio rei absentis in textu fit. Sic ut pro regula possit sumi; Caussæ publicorum criminum non possunt agi per procuratorem sive agant sive defendant; pro exceptione, reus tamen absens potest per procuratorem defendi per rationem in *l. 33. §. 2. ff. b. t.* positam.

In popularibus autem actionibus procurator quidem admittitur

10 DISPUTATIO JURIDICA

pro reo quidem non pro actore *l. 5. ff. de popul. act.* nisi privatum  
commodum quis persequatur quo casu est instar actionis pri-  
vatæ.

CAPUT QUINTUM.


**U**T recte autem aliquis procurator constituatur ne cessum  
habet mandatum vel expressum vel tacitum: expressum est,  
si per pactum, nuncium vel litteras constituatur *l. 1. & l. 25. ff.*  
*b.t.* tacitum vero mandatum colligitur esse, dum quis præsens  
& sciens, negotia sua alterum gerere patitur arg. *l. 18. ff. mand.*  
Admittuntur autem sine mandato sub cautione de rato personæ  
sanguine vel affinitate propinqua junctæ *l. 1. C. b.t.* facit enim  
sanguinis conjunctio videri mandatum *l. 35. ff. b.t.* licet regula-  
riter nemo ad judicium admittatur, si constet illum mandato  
carere, sic ut licet adversarius taceat judicis sit illud exigere *l. 24.*  
*C. b.t.* Procurator quoque recte mandatum accipit vel in judi-  
cio vel extra judicium, in judicio coram judge declarata rati-  
habitione & persona confirmata *l. 65. ff. b.t. §. 3. Inst. de satisdat.*  
vel extra judicium coram notario & testibus, ut & ante vel post  
item contestatam sic & procurator post item contestatam alium  
pro se substituere potest, est enim litis dominus quem; ille substi-  
tuit alium substituere nequit, quia non est item contestatus &  
proinde non contraxit *l. 8, 11, & 23. C. de procurat.* Officium  
autem procuratoris est ut omnia ex utilitate domini gerat præ-  
terquam si dominus ei actiones cessit, tum enim non expedit ad  
domini sed propriam utilitatem & vocatur procurator in rem  
suam sive cessionarius *l. 17. §. ult. ff. de jurejur.* Quæritur autem  
inter DD. an procurator teneatur appellare? affirmantium autem  
sententiam amplectendam puto, licet in contrarium sumant judi-  
cem sententia lata functionum esse officio *l. 18. ff. de judic.* atqui  
proinde ex parilitate rationis & procuratorem esse liberatum, sed  
existimo, procuratorem totam causam non peregisse & ideo non  
absolvendum esse, appellatio enim est causæ appendix *l. 17. C. b.t.*  
appel-

appellationem autem ultra extendere aut prosequi non tenetur *l. 17. eod.* prosequi vero tenetur appellationem ab interlocutoria sententia non vero à definitiva *l. 4. C. de temp. appell.* Effectus autem mandati procuratorii est quod procuratoris factum domino noceat & prosit *l. 10. ff. b. t.* Si modo fines mandati non excessit quod protinus à lite contestata litis fiat dominus *l. 11. C. de procur.* & ut talis citetur (nec mandans habet facultatem persequendi judicia nisi capitales inimicitiae vel morbus vel alia necessaria causa intercesserit tunc enim invitis his transferri lis potest arg. *l. 22. & segg. C. de procur.*) Sententia quoque fertur in procuratore tantum quam litis dominum *l. 1. C. de sent. & inter loc.* Insuper de effectu procuratorii mandati est ut qui suscepit mandatum etiam licet invitus absolvere & exequi auctoritate magistratus compellatur, quamvis nemo invitus subire alias cogitur *l. 17. C. de procur.*

## CAPUT ULTIMUM.

**Q**uemadmodum autem nihil tam naturale est quam quod aliquid eodem modo dissolvitur quo colligatum est *l. 35. ff. de Reg. Jur.* sic procurator mutuo consensu constituitur & eodem consensu revocatur. Revocatio autem mandati nullo modo est licta, si quis procurator in rem suam datus sit *l. 25. in fin. & l. 55. ff. b. t.* neque recte revocatur mandatum invito procuratore post item contestatam, nisi dominus paratus sit ei solvere impensas in item factas alioquin procuratori retentio aliqua auctorum concessa est arg. *l. 25. & 26. 64. ff. b. t.* Expirat quoque mandatum morte procuratoris non domini filis sit contestata cum procuratore *l. 23. C. b. t.* ut & finitur mandatum sententia definitiva lata, mandatum enim tunc ad finem redatum est. Negotio autem peracto competit domino actio mandati directa adversus procuratorem, per quam omnia cogitur

tur restituere quæ ex lite percepit , rationes & instrumenta caussæ bona fide reddere & culpam levissimam præstare l. 13. C. mand. debet quoque reddere , si per errorem aut injuriam judicis non debitum consecutus fuerit. Actio mandati autem contraria datur procuratori adversus dominum per quam recuperat litis impensis bona fide à se factas omnemque indemnitatem repetit l. 46. ff. b. t. nec non promissum honorarium l. 6. pr. ff. mand. petit autem extra ordinem si nil promissum sit l. 1. §. 10. de Var. & ext. Cognit. sumtus tamen quos procurator in rem suam facit non recuperat l. 42. §. 2. ff. b. t.



**C O .**

# COROLLARIA.

I.

**C**ausa exhortationis in Nov. 115.  
Cap. 3. expressa ad similes vel gra-  
viores extendi possunt.

D. CHRISTOPHERI

*Usus capio non pugnat cum naturali equi-  
tate.*

D. PROCOLLOPIUS.

*Contractus bona fidei, cui dolus dedit  
causam, est ipso jure nullus.*

V.

*Contractus metu gestus, non est ipso jure  
nullus.*

F. I. N. S.



HONORI

*Doctissimi, Literatissimique Domini*

D. CHRISTOPHORI  
H E L L E R I,

## De Procuratoribus.

*Pro gradu Doctoratus eruditissimè  
Disputantis.*

.VI.



At Musisque, scholisque datum, majora  
parantur  
Nomina, te cupiunt jurgia rauca fori;  
I, gaudens titulis, nunc obliviscere tanti  
Sudoris, juris quem tulit æquus  
amor,


Amstela latatur, tantoque superbis alumno,  
Felices inter, jactat habere locum.  
Diva themis tantis precor ut successibus adsit,  
Et faveat studio nominibusque tuis,

Quan-

Quantum est assiduo studiis servire labore  
Christophore! hac certe tendimus astra via.  
Corpora, divitias, terrestriaque omnia perdit  
Mors, sed post cineres vivimus ingenio,  
Scilicet ingenio tot quos consumperat ætas  
Nunc etiam vivunt, post sua fata viri,  
Bartolus, & Baldus vestrique memoria regis  
Nullo rodendum tempore, nomen habent.  
Tulli Romanæ certe bene cognite genti  
Vivis, & æternum nomen in orbe tenes,  
Quo trahor ulterius? turpe & sine nomine vulgus  
Dum perit, ingenio docta caterva viget.  
Tu quoque doctorum numeris inserte, vigebis  
Nec veniet titulis ulla ruina tuis,  
Perge igitur, gnarusque tuis virtutibus insta  
Quo patriæ evadas gloria prima tuæ.

C. CODDE,

*Phil. St.*




Quoniam illi nulli quibus leviter posse  
Chrysopœam pre cito cernimus istis aliis  
Quibus, tunc, incognitis omniis paret  
Mors, hæc post omnes aliamus invaserit,  
Postea nescio totus conquisitatis esse  
Vnde sicut invenerit, post eis nisi art  
Purior, & finis volatilis mortis regis  
Multa solitudinem evanescere, novum paret  
Tunc Romanae casus post aduersa locis  
Avit, & transmutum monum in obolescas,  
Quo rupor nescias? inde q[uod] sine nomine invig  
Dum estis, nescio dotti certas agit  
Tu duxis hegemonum unumq[ue] inimico agit  
Nec amicis nimis illi minus tor  
Protegit, & amplexus misericordias invig  
Quo patens easque glosas paret

De

C O D D E

ANNA

Dissimilis.



Aucta letitia, non tam propria dilectione,  
+ tamen inter ipsas latente lucore,  
Diva thymie tunc, præmula successibus adit,  
Et faveat studio zemissimus eius,

Quæ.